



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.1. Culpa culpam non agnoscentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

C A P V T II.

ICILINI ET ALBERICI,  
DVORVM FRATRVM, EXEM-  
PLO OSTENDITVR, QVAM IVSTVS  
SIT DEVS, QVANDO ETIAM GRAVISSI-  
MAS MORTALIBVS CLADES IM-  
MITTIT.



ALA belli, ad quæ auertenda, tam  
seueri exempli poenitentiam nos  
Itali docuerunt, vniuersim, aut  
in genere dumtaxat commemorauimus.  
Nunc ex eodem authore Carolo Sigonio  
vnius familiæ cladem particularem audie-  
mus, ex qua non solùm, velut ex vngue leo-  
nem, licebit totius belli calamitatem æsti-  
mare; verùm etiam manifestè perspicie-  
tur, tam necessariam nos habere causam  
ad poenitentiam confugiendi, quàm iustam  
Deus habet, nos impoenitentes eiuscemo-  
di bellicis miserijs affligendi. Erunt enim  
multi, qui ardentem illam Italorum pieta-  
tem, ad diuinam iram restinguendam, fla-  
gellaque auertenda vehementer laudent,  
sed non imitentur, eò quòd se existiment,  
esse innocentes, & cum iudæis dicant: Pa-

U  
CVLPA  
CVLPAM  
NON AG-  
NOSCENT-  
TIVM.  
Carol. Si-  
gon. An.  
1259. &  
1260. lib.  
19. de reg-  
no Italia

Jerem. 31 tres comederunt uiam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt; aut cum Poëta: *Quidquid committunt reges, plectuntur Achini.* Plurimi enim sunt, qui nihil belli pœnæ dignum putant à se commissum, & omnia in reges, principesque reijciunt. Quare non magnopere curant de pœnitentia agenda, cum in se nihil reperiant pœnitendum. Quod sanè etiam dicere potuisset illa multitudo flagellantium se se Italorum, (in qua utique multi innocentes, immo & pueri, & puellæ fuerunt, quæ nescierunt adhuc, quid sit peccare) sed non dixit; non dixerunt Niniitæ, non tres pueri in Babylo-nica fornace; quia optimi quique, præ animi demissione, non se se solent excusare, more superbiorum, qui ubique se iudicant esse innocentes, etiam cum maximè peccauerunt. *At iustus, prior est accusator sui.* Sed ad historiam veniamus.

PROV. 18.  
27.

II.  
ICILINI  
MISERIA  
ET MORS,

Narrat igitur Carolus Sigonius, in illa turbidissima Italiæ tempestate, præcipuæ familiæ fuisse duos fratres *Icilinum & Albericum à Romano*, (cuius gentis potentissimæ ea erat vis, ut facile imperium consecuta Lombardia fuisset, nisi ei summa diligentia fuisset occursum) post diuturnam felicitatem,